

Zb
1339





AK. 241 34

II 273.
Zb
1339

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙΑ
Viri Excellentissimi,

L. JOACH. FELLERI,

POETÆ APUD LIPSIENSES CELEBERRIMI,

Lacrymabili casu nuperrime extincti,

Ad

POETAS,

Ipso Exequiarum die X. Aprilis deperata

ab

H. MÜHLIO.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI, 1691.





Cilicet hæc Vatum Sors est, hæc
Scena Poëris

Panditur, in varios ingeniosa
modos.

Nos Polypigens sacra sumus, sub
mille figuris

Induimus nostris Nomina mille
metris.

Nunc numeros dictat Corydon, nunc Phyllis amica
est,

Et venit ad modulos Rustica Musa suos.

Mox Procerum vultus subeunt, Regesque Ducesque,
Et feriunt placidam Sceptra verenda chelyn.

Nunc querulum nos lassat opus, nunc condimus ur-
nas,

Et lacrymas sequitur Calliopeæ suas.

Hinc Veneres canimus, Paphiæ poppysmata matris,
Quæque placent nuptis mollia verba novis.

Infanire libet, toties nugatur Apollo:

In nostro toties carmine Mimus ovat.

Audemus Satyras aliis, risusque jocosque,
Et potior Satyræ causa Poëta suæ est.

Nos nobis Cynosura sumus, nos norma canendi
Ac melius nostro schemate gliscit epos.

Ludi

Ludimus, & lusus sumus, opprobriumque, jocamur,
Materiesque joci plurima quisque sui est.
Hæc nos Fata manent, versant alterna Poëtas,
Et rotat instabiles Sors malefana vices.
Tot plausus luctusque inter, thalamosque rogos-
que,
Ancipites jactus alea Vatis habet.
Nunc faciles Musæ, nunc illi invita Minerva est,
Et grave demorso scribitur ungue melos.
Sejani fortuna sua est, surgitque caditque:
Inter opes versûs pauperiemque facit.
Exulat infelix Naso; Pallasque noverca est,
Cultorique nocet docta Camæna suo.
Augurium sibi sæpe canit, sibi tinnit auris,
Dum gemit in Tragicis Præfica mœsta rogis.
Nos nobis Libitina sumus, lessosque paramus:
Cogimur ignotis illacrymare malis.
Sæpius in versis currunt quoque tempora Fatis:
Nunc freta, nunc tellus, flamma, vel aura ne-
cat.
Præcipitat mors sæva gradum; ludusque Deorum,
Et levibus Parcis subdita turba sumus.
Mille modis patimur, casu nec lædimur uno,
Inque caput nostrum jus quoque Saxa tenent.
Hocce mihi fatale malum, cecidique, lapisque
Ingenio potuit terminus esse meo.
Verba dabat Morpheus, facili commenta Poëtæ,
Inque oculis noctu devius error erat.
Fingimus è Saxis nostræ primordia vitæ;
Sed nunc extremum dant mihi Saxa diem.
Deucalionis opus nos fallit, fabula Pyrrha est:
Vera magis populo fabula Vatis erit.

Infe-

761339 OK

Intelix operum summa est, numerique, pedesque
Ilicet ad lapides obstupere suos.
Hic Musæ stat meta meæ, procul ite Poëtæ:
Non dant Pegaseos noxia Saxa lacus.
Non hic Bellerophon, non Vestri hic culmina Pindi:
Præcipites nostras labimur ante fores.
Ite leves nugæ, veterum mendacia Vatum:
Ito procul modulis Musa profana meis.
Nil ego Mæonidem curo, mihi vilis Apollo es:
Jam numeros adflat Celsior aura meos.
Non Helicon, non Cyrrha places, nec Phocidos un-
da:
Æternas alio fonte bibemus aquas.
Terra vale, mea turba vale; nunc inferor astris,
Jam canit Angelicis mens Pia mixta choris.



Pou Zb 1339, QK

ULB Halle 3
002 631 059



Worm





AK. 241 34

II 273.

39

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙΑ
Viri Excellentissimi

L. JOACH. FELI

POETÆ APUD LIPSIENSES CELE

Lacrymabili casu nuperrim

Ad

POETAS,

Ipsa Exequiarum die X. Aprilis dep

ab

H. MUHLIO.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. FLEISCH



Inches

1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Kodak
LICENSED PRODUCT

Black